

**De aegro melancholia hypochondriaca laborante / [Johann Christian Mentzel].**

**Contributors**

Menzel, Johann Christian.  
Albinus, Bernhard, 1653-1721.  
Universität Frankfurt an der Oder.

**Publication/Creation**

Frankfort-on-Oder : C. Zeitler, 1684.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/e9g5qt39>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

AUSPICE DEO  
*Ex*  
DECRETO  
GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS  
*IN ALMA HAC VIADRINA*  
SOLENNITER

DE

# ÆGRO MELAN. CHOLIA HYPOCHON- DRIACA LABORANTE,

PRÆSIDE

*DECANO SPECTABILI*

DN. BERNHARDO ALBINO,

PH. & MED. DOCT. hujusq; PROF. PUBL. ORD.

*FANTORE PATRONO ac PRÆCEPTORE SUO*

*eternum colendo,*

PRO LICENTIA  
SUPREMOS IN ARTE MEDICA  
HONORES

*LEGITIME ADIPISCENDI*

IN AUDITORIO MAJORI

Ad diem X. Octobr. Anno clo Icc LXXXIV.

Horis ante- & pomeridianis

JOHANNES CHRISTIANUS MENTZELIUS,

Berolino-Marchicus,

Disputabit.

---

*Francofurti ad Viadrum,*

Ex Officinâ CHRISTOPHORI ZEITLERI.

AUGUSTI  
SERENISSIMI atq; POTENTISSIMI  
ELECTORIS BRANDENBURGENSIS,  
&c. &c.  
CONSILIIS STATUS INTIMIS,  
*ILLUSTRIBUS* atq; EXCELLENTISSI-  
MIS DOMINIS,  
Dno. FRANCISCO de MEINDERS,  
Dno. HÆREDITARIO IN HEINERSDORFF, BEH-  
LENDORFF, KAKENAW, TASDORFF &c.  
Dno. PAULO Fuchs!  
Dno. HÆREDITARIO IN MALCHAW &c.  
Dno. JOHANNI FRIDERICO RHETIO,  
Dno. IN KLSTOW &c.  
SOLIDIS DOMUS BRANDENBURGICÆ  
COLUMNIS, MÆCENATIBUS OPTIMIS,  
MAXIMIS,  
DOMINIS SUIS BENIGNIS-  
SIMIS,

Hanc Dissertationem Inauguralem

piâ manu

sacram facit

humillimus Cliens  
Johannes Christianus Mentzelius.

*ILLUSTRES atque EXCEL-  
LENTISSIMI DOMINI,  
Domini Benignissimi,*

**E**Museo, in quo ab aliquot annis latueram, egressurus, VESTRAS EXCELENTIAS adire non fuissem ausus, veritus ne idem mihi, quod oculo à longo tempore tenebris inclusò subito apricari, contingeret, nisi ille, cui ut obediā pietas ubet, hoc quicquid est chartacei munera ILLUTRIBUS VESTRIS NOMINIBUS inscribere jussisset.

Offero

Offero Vobis primos meorum studiorum fructus, non oblatus, nisi scirem Vestrum favorem levidensi huic muneri pretium additum. Sacras vobis facio laborum meorum primitias patriæ commodo dicatas, qvod perswasus sum à patriæ Patribus illas non repudiatum iri. Benignè igitur VIRI ILLUSTRES, Disputationem hanc Inauguralem, & qvi illam offert, humillimum clientem Vos accepturos indubie auguror, & hoc fretus augurio, ut id fiat, intrepidè sed devotè supplico. Suscipiatis igitur illum qvi eâ, qvà potest humilitate, Vestram ambit gratiam, devotè rogo. Et ut VOS MÆCENATES OPTIMOS MAXIMOS in Patriæ emolumen tum incolumes servet SUMMUM NUMEN supplex veneror.

*Illustrium & Excellentissimorum  
Vestrorum Nominum*

Devotissimus Cliens & Cultor  
*Johannes Christianus Mentzelius*

I. N. D.

## PROOEMIUM.

**P**udem fuisse prisorum vitam, infandæ Deorū vanitates, dum qvisq; pro suo ingenio numina adoptabat, produnt, innumera iis dicata fana & delubra, festi dies, sacra, ludi, ritus hos Deos geniosve sine lege sine ratione cultos fuisse ostendunt. Qvod qvilibet vel metuebat, vel sperabat, id superstitionā veneratione Diis annumerabat. Lacedæmone non Metus tantum, sed Mortis etiam & Risus, aliorumq; id generis affectuum, fana fuisse Plutarchus auctor est; Vitulinam, lætitiae Deam, impensè coluere Romani, & Timorem cum Pallore cane & ove placarunt, 12 calend. Januarii Angeroniâ, ut angores hominum pelleret, Volupiæ celebrabant. Athenæ Pudori & Misericordiæ, Contumeliæ & Impudentiæ aras erexerant. Qui affectus imperio præmere debebant, illi affectuum jugo colla non solum subdebant, sed iis ceu Diis famulabantur; adeo cœca supersticio hominum mentes depravabat, & sapientum animos agebat transversos! Ut tamen verum fatear, vix invenio majori ratione aliquid inter Deos fuisse relatum animi affectibus, hi sunt qui mentem captivant, qui copori nocent, qui ex homine non hominem faciunt, qui cum dominantur, inaudita metamorphosi è sapientibus stultos, placidis furibundos, hilaribus tristes faciunt, adeò ut his divini quid subesse, non sine ratione illi, qui illorum naturam nescie-

A

bant,

## PROOEMIUM.

2

bant, fuerint suspiciati, solet ad ~~in~~ ~~desio~~ recurrere popu-  
lus, cum rerum non assequitur causas, sed quid quæso  
animi perturbationibus obscurius? ipsam rationem sui  
compotem esse non sinunt: quos transversos non  
rapit ira, furor ille brevis? quot non excœcat amor?  
necat odium? quid spes & metus non designant? quot  
non sunt, quos securitas & desperatio perdidere? quot  
non in summo leguntur extinti gaudio? quot ob in-  
fortunii magnitudinem vitæ pertæsos non reddit tristi-  
tia, ut continuò & vivant & moriantur? velint nolint  
his moderari nesciunt affectibus, hi sunt qui terris im-  
perant, ut ita non sine ratione delubra ipsis dicasse vi-  
deatur antiquitas. Qvod licet Christiana fides impro-  
bet, veræ philosophiæ irrigui sit, id tamen inficias iri ne-  
quit, abditam esse affectuum cognitionem, & si quid  
aliud hoc certè vix profundâ attingi posse meditatione.  
Afficiunt corpus, commovent mentem, toti homini im-  
perant, intima, quam illorum habemus, conscientia sci-  
entiæ officit, ita ut inter Christianos non desint qui ali-  
qvando, quemadmodum in profundè melancholicis,  
Dæmonem concurrere velint. Cum igitur in eo ver-  
ser ut Disputatione solenni, ordinariis examinibus co-  
lophonem imponam, in similibus aliquid tentare volui,  
morbum contemplatus, qui mentem non levi infi-  
cit labe, quique à prædominantibus passionibus ani-  
mi nomen fortitus est, Non illi delubrum, sed dispu-  
tationem dicabo, non cœca devotione venerabor, sed ad  
rationis obrusam examinabo, non victimis sed medi-  
camentis placabo. Ansam observationes Domini Præ-  
sidis practicæ dedere, quæ mihi sequentem morbi histo-  
riam suppeditarunt.

## THESIS I.

J uvenis 23 circiter annorum rei literariæ addictus & intemperantiori diætæ deditus, anno 1680. circa Septembrem ex animi mœrore incidit in melancholiæ hypochondriacam, qvæ, exquisitis illudendo medicamentis, diu illum afflixit, donec paululum refocillatus, symptomata remisere quidem, non tamen intermisserunt. Anno 1681. eodem mense recruduit malum, si unquam, jam certe, atrocitate vix credibili, in lecto se commoventem spasmus excruciat, si quando in plateis subito respiciebat, quasi Medusæos, ut in fabulis est, conspexerit vultus, rigidum fiebat caput, & denuo flesisti nescium. Pedibus convulsis corpus humi quandoque prosternebatur, angebatur circa præcordia, cordis palpitationes crebræ, magnæ & molestæ erant. Æstum hypochondriorum intensum frigus quandoque precedebat, alvus adstricta cum murinuribus & rugitibus intestinorum. Liene mirè tumido difficillime respirabat. Vigilias molestas turbulentis insomniis infamis excipiebat somnus, ut dormiens saepe subito è lecto exsiluerit, crudelibus anxitatibus ceu furiis exagitatus. A somno caput grave erat, cum insigni totius lasitudine. Oninem ferè perdidera memoriam. Totos dies quandoque plorabat, vel ad minimum, absqve manifesta causa, valde contristabatur. Aliquando plane meticulosus erat, & licet perswasus esset, sibi nihil inde periculi fore, à metu tamen temperare nequivat. Animo commotus extra se positus, quasi extasim patiebatur, facie pallidâ obrigebat, ex intervallo incondita incipiebat loqui, aut verius murmurare; cum sibi redditus esset omnium ignaruserat. In osfium medullis se quandoque dolores percipere conquererebatur. Sudor est fœtidissimus, urina varia.

Multiformis symptomatum, qvâ morbus hic se ostendit, varietas Melancholiā hypochondriacā nostrum atterere ægrum indicat. Ut omnia eō, qvō recensita sunt ordine, relegam: Qvandoqve spasmos horrendos epilepsiae persimiles gignit, notante id accurrato observatore *Thom. Sydenham Dissert. ad Guilielmum Cole p. m. 481.* Maximas de cordis angustia qværimonias recenset *D. Sennert. prax. med. lib. 1 part. 2. cap. 12.* Hypochondriorum in latere præsertim sinistro qvem cordis dolorem vocant perpetuò incusant *F. Platerus prax. med. Tom. 1. cap. 3.* Cordis subinde fit palpitatio & qvædam qvæsi suffocatio. *N. Piso de morbis cognosc. & curand lib. 1. cap. 23. p. 86.* illius tremor & palpitatio cum insigni oppressione conjuncta est *Thom. Willis de pathol. cereb. sive de morb. convuls. c. n.* Maximi circa hypochondria æstūs meminit *Hier. Fabr. ab Aquapendente l. 1. c. 48.* Alvus semper adstricta est, & pigra sua deponit excrements. *N. Higmorus in. Dissert. de Affect. Hypochondriaca p. 112.* Lien in qvibusdam inflatur & intumescit. *Senn. prax. med. l. 3. part. 5. sect. 1. c. 4.* Ipsa qvoqve respiratio difficilis existit. *F. Sylvius tract. 7. de Affect. Hypochond. §. 17.* Vigiliae in primis post medium noctem plenisqve molestæ esse solent. *W. Hoferus Herc. Med. lib. 3. c. 3. p. 200.* Post medium noctem evigilant, duabus vel tribus horis vigiliis continuatis, alii denuò obdormiunt, alii vero dormire nequeunt, & si obdormiant, reliqua noctis pars insomniis transfigitur *L. Riverius prax. med. lib. 12. c. 5.* Memoriam prorsus abolitam dicit *Hoferus.* Delirant absq; febre cum mœrore & timore, idqve non continuò, sed per notatu digna intervalla *Sennerto.* Praeter metum ac mœsti-

## MELANCH. HYPOCH. LABORANTE

§

mœstitiam affectum hunc testantur cruditates , acidus  
ructus , æstus in præcordiis &c. *Pisoni*. Copiosum , fœ-  
tidum putridumque emittunt sudorem *Hoferus* in  
*append. consil. 17.* Qvæ circa hypochondriacorum urinam  
notat *Thom. Sydenham in Dissert. Epist. ad Guil. Cole*, ut ap-  
ponantur digna sunt : Ægri inquit , urinam subinde  
reddunt planè limpidam , adinstar aquæ è rupibus scatu-  
rientis , idqvè satis copiose , qvod quidem ego sigilla-  
tim percontando , in omnibus ferè didici signum esse  
pathognomicum eorum affectum , qvos in maribus  
hypochondriacos , in feminis hystericas appellandos cen-  
semus . Atqve in masculis nonnunquam observavi ,  
qvod mox ab excreto lotio coloris citrini ( imò proxi-  
mo ferè temporis momento ) violentiori aliquo animi  
motu , derepentè perculti , statim urinam crystallum  
claritate æmulantem magna copia & impetu diu conti-  
nuato ejecerint , eo usqve se male habentes , donec u-  
rina pristinum colorem induerit & paroxysmus simul  
evanuerit . Qvæ singula cum miserè nostrum quoque  
affligant ægrum , certè Hypochondriacus erit . Recen-  
sent Auctores adhuc alias malorum Iliades , atroces &  
periodicos dolores , scotomias , vertigines , cogitatio-  
num æstus , imaginarias morborum suspiciones , animi  
deliquium , nauseam , vomitus , ventriculi dolores , auri-  
um tinnitus , partium extremarum stuporem & formi-  
cationis sensum , salivam multam , famem auetam , de-  
pravatam , vel imminutam , sed illa unanimi Practico-  
rum consensu in omnibz non apparent omnia , sed quam-  
cunque corporis partem infederit , symptomata parti  
illi convenientia , producit , & qvod *Chæremone apud Ari-*  
*stotelem probl. sect. 3. §. 16.* de vino id nos de hypochon-  
driaco malo dicere possumus . Malum Hypochondri-

acum SESE PRO MORIBUS UENTUM APPLICAT. Unde *Ephem. Germ. Nat. Curios.* anno 1. Dec. 1. obs. 6; Hypochondriacus symptomata gravissima octuaginta simul & semel infestantia numerabat.

## III.

Melancholiâ hypochondriacâ his symptomatibus infestati laborare dicuntur, qvod melancholiam ex hypochondriis ortum habere, & ex causa in hypochondriis genita excitari antiquitus putaverint. Et cum viderent plurimos esse, qui obstruktione mesenterica, aut alio hypochondriaco laborent affectu, qui tamen neutiquam sint melancholici, & vice versa multos, qui affectione hypochondriaca non detinentur, esse melan-cholicos, illorum affectum Malum hypochondriacum, Affectionem, Passionem hypochondriacam; horum verò melancholiā nominarunt, utroque vero affectu concurrente Melancholia hypochondriaca nuncupata fuit, adeo ut illud hoc sit generalius. πάθος φυσιώδης i. e. Affectus flatulentus, sive flatuosus appellatur. *Aetius tetrab. 2. sermon. 2. c. 9.* Arabes illum nomine Mirachiæ vel Mirachialis describunt, qvod velint ejus causam in Mirach, i. e, ventre inferiore sive abdomine contineri, ut illius linguæ periti affirmant. Tartareorum morborum albo illum inscribunt Chymici, dum Tartarum hypochondriorum nominant. Alii veteribus incognitum fuisse, alii ab illis Morbi resiccatorii titulô descriptum contendunt *Prosp. Martianus in magno Hipp. lib. 2. de Morbis Sect. 3. p. 146.* atque etiam νόσος αὐαντῆς nomine Hippocrati innotuisse affirmanit. Noster æger cum melancholicus sit, & malo hypochondriaco laboret, Melancholia hypochondriaca affici dicendus. Germanicè Ein Milzichtiger oder der die Milzbeschwerung hat.

Post-

## IV.

Postquam ostensum est, qualis sit morbus, dum ad causarum scrutinium me accingo, eruditorum monumenta multo me reddunt incertiores, quam prius eram, majorem enim hic reperias diversitatem, quam Proteus lusit unquam, vel coloratus spectatur chamæleon. Duplicem melancholię hypochondriacam, quārum altera melancholico terreno humoris sanguinisque fæci, altera bili quæ vel ex terrena sanguinis fæce supra modum incalescente & ex usta, vel bili flava suos debeat natales, statuit *Johan Fernelius de Partium Morb. & Synt. lib. 6. c. 8. p. 305.* vel pituitam, vel melancholicum terrenum ab humore atrabilario ortum incusat *P. Grulingius Med. pract. lib. 3. p. m. 310.* Diocli vel alii cūdam, quod cibum freqenter evomant, & circa ventriculum percipiatur aestus, ab inflammatione ventriculi ortum habet, recensente *H. Mercuriali lib. 1. c. 9. p. 45.* Galenum inflammationem in ventriculo, & sanguinem in parte inflammata crassiorem & melancholicum, quā fuliginosa evaporatione à ventriculo in cerebrum elevata sequatur affectio hypochondriaca & melancholica, incusat scribit *H. Fabr. ab Aquapendente lib. 1. c. 48. de Melanch. Hypoch.* Non semper, sed interdum ab oris ventriculi inflammatione fieri vult *Amatus Cent. 4. cur. 4. & 5.* virtuosam ventriculi constitutionem referente *Willisio* culpat *Highmorus.* Apostema frigidum incusat *Avicenna.* Vaporem melancholicum cerebro communicatum, spiritusque animales inquinantem & obfuscantem (hac voce usus, quod peculiarem aliquam occultam & inconnitam esse dispositionem humoris melancholiā generantis, quæ cum proprio nomine exprimi nequeat, impuritas & nigredo dicatur, cum *Platero* judicet) mœrem-

remque & tristitiam excitantem habet *Sennertus prax.*  
*Med. lib. 1. p. 2. c. 12.* ab intemperie sicca, cum aliquacaliditate sine affluxu, sed cum obstrukione deducit *Rondeletius meth. curandi morb. c. 42.* ab effervescentia humoris biliosi & pituitosi in variis glandulis parati oritur *Fr. de le Boe Sylvio prax. med. append. Tractat. 7. §. 222.* Ab austus evaporationibus *Fabr. ab Aquapendente l. 1. c. 48. p. m. 136.* A spirituum animalium *ataxia* *Th. Sydenham in dissert. epistol. ad Guil. Cole p. 458. & 465.* A portione quadam fæculentiori, materiam scilicet terrestri & sale fixo constante in liene à sangvine per arterias depositâ, affectio producitur *Th. Willisio pathol. cerebri cap. 11.* Ab austeritate & aciditate nimia *Cardilucio in notis ad præxin Chym. Hartman. c. 130.* Ab exsiccatione partium, earumque potissimum, quæ naturali facultati inserviunt dependet *Prosp. Martiano in Magno Hippocr. lib. 2. de Morb. Sect. 3. p. 146.* A retentione steroris liquidi in hypochondrio, quod cum urina ire erat solitum, amentia hypochondrica oritur *Joh. Bapt. van Helmont in tract. de Humor. Galen. cap. 4. §. 13.* & quem non tot eruditorum in diversa abeuntium sententiae redderent incertum? suo quemque abundare video ingenio, longè tamen à me illa absit iniqvitas, ut nil rectum putem nisi quod ipse dixerim, id solum precor, ut & meo mihi abundare liceat ingenio.

## V.

Æger noster à Parentibus atque Præceptoribus ab ipsis incunabulis libris invigilare coactus, jam à longo tempore assiduis, quales ætas ferebat, meditationibus, spirituum fecit jacturam, quibus dum sanguis paulatim orbatus successivè crassior atque terrestrior factus fuit, nec vita sedentaria concesit, ut hoc damnum legitimus

mus corporis resarciverit motus, qvin potius nimia illa  
qviæ ania fuit multarum in corporis solidis partibus ob-  
structionum, unde remora humoribus jam tum segniter  
motis injecta, retentumqve in corpore qvicqvid crassum  
& terrestre spirituosisoribus & meditatione & insensibili  
transpiratione consumptis; & sine dubio alimenta non  
semper fuere eucyema & eupepta, sed qvalibus passim pu-  
eri fabis videlicet, lentibus, brasica, caseo, carne sale vel  
fumô indurata, horariis fructibus, cerevisia valde tenui,  
&c. aluntur, chylus, qvem dederé cruduse exercitorum de-  
fectu ulterius non fuit incisus, nec vitium primæ conco-  
ctionis correxit secunda, sangvinisqve temperamentum  
paullatim crassius & terrestrius factum est. Cum inge-  
nium à labore proclive ad libidinem sit, & senex Teren-  
tianus adolescentulum potare flagitium esse neget, hic Ju-  
venis ex Ciceronis consilio voluptatibus paruit, dedit a-  
liqvid temporis ad ludum ætatis, atqve ad inanes has-  
ce adolescentiæ cupiditates, jam vinis calidioribus ce-  
revisiisqve crassioribus repletus, vel insomnes traduxit  
noctes, vel iis oppressus totos stertit dies, atqve sic aliud  
ex alio, ut ferè fieri solet, fluxit malum, modò sangvinis  
sopitæ fermentationes, modò plus justò auctæ, modò il-  
le balsamico spirituosoqve liqvore orbatus, tot recipro-  
cationum procellis attritus, in vappam abiit, capiti mortuo  
simillimus. Non satietas, non famæ, nec aliud qvicq; vam  
quod naturæ modum excedat, bonum. Et somnus & vigi-  
liæ, utraq; modum excedentia malum. *Hippocr. Sect. 2. aph.*  
*4. & 3. suo tempore dixit.* Nec sola crassities ex illegi-  
timo rerum non naturalium, sic dictarum, usu fluxit, sed  
jam acidis, jam austoris, acerbis, falsis, acribus hesternæ  
crapulæ incommoda deliniturus, sangvinis crassitiei tot  
humorum superaddidit varietatem. Exemplo prorsus

non inaudito, nam humorem melancholicum, id est terrestrem adstringente & austерum esse, videbis apud L. Joubertum lib. de febri quartana c. 8. p. 319. Per os hypochondriacum excreuisse humorem tenuem saporis acris & acerbi ad instar vitrioli L. Riverius obs. comm. Cent. 1. obs. 74. & passim apud alios videre est. Circa septembrem, quando æstus æstatis evocato humido sanguinem magis exsiccaverat & minus fluidum fecerat, succedente aëre nonnihil frigido, poris leniter obstipatis multifarii humores, ut corpus lædant, aptiores facti fuerunt, hæc quippe anni mutationes quid valeant notavit Hipp. Sect. 2. aph. 11. 12. 13. 14. &c. Ita disposito corpore, animi mœror accessit, seu languor ille ingratus, pulsus debilis & leniti auctor, cor quai coartans, & dum sanguinem quasi congelat, toti corpori suam communicat frigiditatem. Passio inquam animi, quæ huic sanguinis diathesi, illum vel Salomone teste prov. 17. exsiccando, ultimum addit complementum. Passio hunc morbum producere apta non solum, sed etiam illius pathognomicum signum ita F. Sylvius prax. med. append. Tract. 7. §. 183. Virum factâ bonorum jacturâ, metu ne damnum illud superare potuerit, continuis anxietatibus & sollicitudinibus, in hanc tristitiam morbosam incidisse refert. Hippocrates verò Sect. 6. aph. 23. Si metus atque mœror longo tempore perseveret, melancholicum est signum, pronunciat. Quantum enim in nos sex rerum non naturalium usus queat vel lippis & tonsoribus notum, & Tachi exemplum apud Älianum initio libri quinti de varia historia id diserte significat. Tachus Ægyptius inquiens, donec usus est vernaculo victu, & frugaliter vixit, omnium hominum fuit sanissimus. Postquam verò ad Persas venit, & in illorum luxum delapsus est, cum non posset ferrè insolentiam ciborum

borum vitam in dysenteria transegit & luxuriam cum morte commutavit. Et certè

Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant

Hæc tria: mens hilaris, requies, moderata diæta  
Frustraneus exqvistorum medicamentorum usus, altè radicatum morbum domare nescius, caput hoc mortuum difficultimæ forè correctionis jam in limine nobis ingeminat, cum ab iis morbus non curatus sed sopitus duntaxat esse dicatur.

## VI.

Eodem in sequentis anni mense recruduit malum, quod utimirabile, ita quotidianum. Ut jam taceam plures morbos phasibus lunæ auscultare, alios certo anni tempore vel oriri, vel redintegrari, vel ingravescere, alios esse periodicos, notiora sunt quam ut recenseri debeant. Periodicum tale incrementum & decrementum & in melancholicis observatur, delirium periodicum proponit *Sal-muth. cent. i. obs. 63.* Dolores hypochondriacos menstruos codem ferè die singulis mensibus redeentes, notatos videbis *Ephem. Germ. Dec. i. ann. 4. & s. obs. 140.* Quidam sub canicula quotannis vastestaceum se credebat, finito intense ad mentem sanam & solita officia reversus. *T. Barthol. hist. c. i. p. 257.* Nobilis Flammīneus circa dies caniculares plane maniacus, accedente bruma tristitia metu & silentio detentus fornaci perpetuo affixus, per totam septimanam vix unicum verbum protulit *Ephem. Germ. Dec. i ann. 2. obs. 151.* Quantæ efficaciam sit, quem spiramus, aer, jam olim in *aphor. Sect. 3.* dixit Hippocrates, in cuius *aphorismo 22.* autumnalibus morbis adscripsit melancholiā, & memorabilis est observatio *D. Joh. Jac. Wenceslai Dobrzenski de Negroponte Ephem. Germ. Dec. i. anno 2. obs. 66.* quando scribit: *Adverti igitur, quod planè eadem die, quā in Tyroli terra motus suum principium sumvit, illi, de duobus loquitur hypo-*

chondriacis (apud quos satis quietè per aliquot menses causa  
morbifica dormitabat, derepentè quasi classico à spiritu illo  
mundi dato, excitata) misere torqueri cœperunt, primaq; die,  
h.e. illa ipsa qua terra motus incepit, accidente ipsis antehac  
insolito, nempe uterq; deliquio, post vertigine, tandem stupore  
membrorum cum summo timore sui laborare cœperunt. Ab eoq;  
die usque ad finem ferè anni varias exacerbationes, unus qui-  
dem majores, tanquam miles in hoc morbo inveteratus, alter  
minores perpeti coacti sunt, non obstantibus quibuscunq; etiam  
optimis de more adhibitis remediis &c. Jam ergo viso illo  
diario-historico, à quo exacerbationes illæ subterraneæ refere-  
bantur, conferebam illas cum afflictionibus duorum istorum  
DD. Patientum, & revera nulla dies aberat, ubi non illi,  
aut de anxietatibus notabilioribus, quam aliis diebus conque-  
rerentur. Maximam quoque partem in aerem redundabit  
culpa, quod in Messina familiaris sit morbus hypo-  
chondriacus, uti videre est apud Thom. Barth. epist. cent.  
1. ep. 151. Nempe ita obtinet, cum terra toto orbitæ suæ  
intervallo, si illam moveri velinuſ, aut vario aliorum  
accessu recessu'e siderum, si quiescere dicamus, dum  
sunt vel apogæa vel perigæa, sol est vel aphelius vel peri-  
helius, radiiq; ejus vel magis vel minus obliqui, aliis at-  
que aliis vicinior facta, alium recipiat ætherem, facile fit ut  
idem aer, qui cum antea optimè conveniebat sanguini &  
humoribus, alio æthere prægnans ipsos commoveat &  
agit. Fiat id in sanguine terrestri heterogeneis humoris  
referto, quantas ille non dabit turbas? Factum id est  
in nostro ægro, in quo sopitum malum recurrens eadem  
seqventi anno materia ætherea resuscitavit, ita, quod ha-  
ctenus latuerat, recruduit malum, & cum toto illo tempo-  
re sanguis crassior factus majorem contraxerit quasi si-  
tum, illius majorem jam esse ferociam & atrocitatem non  
est quod miremur.

## VII.

De intolerabilibus spasmorum cruciatibus lamentatur æger, quos quandoque in hâc affectione horrendos gigni, epilepsiaæ persimiles, videsis apud *Thom. Sydenham.* *Diss. epist. ad Guil. Cole p.m. 451.* & hujus rei notabile in hypochondriacâ affectione detento, cui abdomen contrahebatur cum maximè molestâ & dolorificâ partium contentarum omnium contorsione, habet *F. de le Boe Sylvius prax. med app. tract. 7. §. 110.* *G. Charleton exercitat. 9. de motu muscularum,* quod doctissimus *Scaliger* de coloribus, idem se de motu muscularum æque verè dicere posse vult; esse nimirum hujus rationem modumq; tam controversa, atq; obscura intellectui, quam est ipse sensui manifestus, nec tamen illa obscuritas impedit, quò minus quotidiano usu vilescat, non enim, uti deceret quidem, eum condigne admiramur, taceo ut verè in naturam illius inquiramus, nisi tunc temporis quando impedimento nobis est quo minus nostris actionibus defungamur, tunc enim demùm tanquam rem insolitam admiramur & in ejus causam inquirimus. Quod ut hic fiat, motum nostri corporis notum est fieri ope spirituum animalium à cerebro per nervos in musculos influentium, qui dum humorum, qui in muscularum latifundiis stabulantur, tollunt æquilibrium efficiunt, ut affluxu reliquorum humorum musculus elevetur, atque ita brevior redditus, membrum moveat. Paucitas enim à cerebro affluentium spirituum sola vastos corporis musculos alternatim & momentaneo replere nequirit, nisi simul concurrerent ex poris arteriarum venarumve, quarum ramni totam pererrant carnem, in tubulis partium depositi humores in illis cum indifferentia moti, qui ex tenso musculo expulsi confertim ad antagonistam ruunt, illique in movendo in membro suppetias ferunt. Cogitandum enim

est, in principio generationis ossibus, aut nondum, aut vix  
osseis musculos antagonistas sibi valde fuisse vicinos & si-  
mul valde teneros. Altero igitur eorum ab influxu spi-  
rituum animalium leniter elevato, fieri aliter prorsus non  
potuit, quin alter contractus, humores contentos eructa-  
verit, & ad musculum contractum, quod ibi vel nul-  
lum, vel minimum esset obstaculum, expulerit, quæ  
fluxus reciprocatio, in delicatis istis partibus dum fit, vias  
spirituosi humores sibi fabricarunt alias dum affluunt,  
dum refluunt alias, in quibus propter molliusculas fibras  
villi vel prominentiæ fuere, qui à fluento humorum ab-  
repti antagonistam respiciebant musculum, cumq; refluunt  
humoribus obstaculo forent, qui, sine illorum villorum re-  
vulsione, per easdem vias redire non poterant, alios illi si-  
bi pararunt meatus, in quibus istæ prominentiæ opposi-  
tum acquisivere situm, & utræque jam valvularum fun-  
guntur vice, ita quemadmodum hæ admittunt non verò  
remittunt, ita illæ remittunt non verò admittunt, id quod  
à musculo ad musculum fluit, succrescenteque corpore  
magnam soliditatem adeptæ non nisi à magna causa re-  
velli possint. Quanta igitur agilitate membra movea-  
mus, nil aliud fit, quam quod spirituum per nervos influ-  
xus humorum tollat æquilibrium, ut illi antagonistæ con-  
fertim ad oppositum ruant & efficaciter contrahant, tam-  
diu donec alia spirituum determinatio humores illos ad  
priorem musculum, sed valvularum causa, per alias vias  
denuò abripiat, & relaxato altero denuò contrahat. Hu-  
morum in nostro ægro terrestritas & crassities sub ini-  
tio nos docet illis deesse agilitatem, nec uti quidem debe-  
bat fulminis instar à musculo ad musculum ferri posse; do-  
cet eadem illos semel motos in suo motu diutius perse-  
verare, nec ad valvularum renitentiam promptè resilire,

sed

sed illis viim facere, illasq; à tergo ab aliis pressi, revellere, atque sic viis turbatis, dum alii egrediuntur, retinentur alii, neuter muscularum vel relaxatur, vel contrahitur, sed utriusque ab affluentibus humoribus & spiritibus parti opitulaturis fibræ tenduntur, & pars cum dolore flecti nescia spasmo laborat. Id si fiat sive jaceat in lecto, sive subito in plateis respiciat, à spasmo rigida torquebuntur membra. Si dum per plateas incedit, & alternatim ad musculos determinantur spiritus, idem fiat, humi sideratq; procumbit; nervos enim in cruribus ita retrahi posse, ut foveæ fiant pugni profunditate lege in *Ephem. Germ. Dec. 1.*  
anno 6. & 7. obs. 105.

## VIII.

Alternis sine ulla requie cor defatigatur iectibus à sanguine, qui perenniter influit, in eodem rarefacto, cuius guttulæ, ventriculis illapsæ, dum rarefiunt, in multoties in aëris expanduntur spatum, & ab invicem remotis cordis lateribus cono versus basin impulso diastolen, eoq; ex ostiis vasorum erumpente lateribus denuò ad invicem accedentibus systolen, motus videlicet, qui omnem corpori vigorem & vitam largiuntur, efficiunt. Consideremus aëri nostri sanguinem, crassus, terrestris est, qui varios sibi mixtos habet humores, cor illapsus ibi rarefit, aliæ quidem illius guttæ citius, tardius aliæ, aliæ vehementius, debilius aliæ, adeò ut inter iectus ordinarios plures paucioresve offerantur extraordinarii, quod pulsuum genus Galeno παρεπυνισθεντος, recentioribus intercurrentem appellantibus, audire, sunt qui asserant, & notabile est, quod notat G. W. Wedelius dum ait: *Talis pulsus occurrit in palpitatione cordis ubi per paroxysmos visitur, tamdiu ac ipse motus hic p. n. durans. Sane qui pulsum hunc novit, novit statim palpitationem, velut clavi obtenta ad eandem dignoscendam. Manife-*

sto

sto tunc ipsi pulsui legitimo , illegitimos intercurrentes ictus  
 commixti deprehenduntur , quo grumescensia sanguinis velut  
 forex se prodit , *Ephem. Germ. dec. 2. anno 2. obs. 145.* Sanguis il-  
 le crassus terrestris, viscidus dum in corde rarefit, id pau-  
 latim saltem fit & tarde, promptius interim effervecunt  
 heterogenei quos admixtos habet humores, qui dum ex-  
 panduntur in bullam attollunt viscidum sanguinem , qui  
 rursus impedit, quò minus id quod rarefactum est, statim  
 erumpat, quale quid videre licet, cum pueri ex aqua & sa-  
 pone spiritu per culmum immisso bullas quandoque satis  
 amplas conficiunt, unde cor justo & solitò magis dilen-  
 di debet, quod dum fit sanguis ex poris arteriarum eru-  
 etat humores, qui si acres sint, quales jam antea culpavi-  
 mus, fibras lancinando, convulsionum fiunt auctores, quæ  
 convulsiones, si uti in reliquis membris , ita etiam in cor-  
 dis fiant substantia, dum cor solitò magis dilatatur, neces-  
 sariò dubius fit motus , & mire cor luctatur, & causæ illæ,  
 si leves sint, tremit, illis verò efficaciter agentibus inordi-  
 natè & vehementer cor palpitat. Huc concinnè qua-  
 drat §. 150. tract. 7. append. prax med. Franc. de le Boe Sylvii. Est  
 autem cordis palpitatio motus cordis inordinatus & pene con-  
 vulsus: quod vel inde patet, quod in eadem affectione hypo-  
 chondriacà graviore existente non rarò cum cordis palpitati-  
 one obseruetur aliarum quoq; partium, artuum præsertim, nunc  
 superiorum, nunc inferiorum motus convulsivus, cum cordis  
 palpitatione in suo motu inordinato conveniens & cum ipsa  
 ferè incipiens & desinens, uti in ægris quibusdam cum admis-  
 ratione observavi. Non ideo tamen continuò palpitavit  
 cor, licet illæ causæ fuerint in corpore continuæ, nisi ac-  
 cesserit ratio, propter quam sanguis & majorem concepe-  
 rit fermentationem & factæ sint obstructiones, hinc *Adri-  
 anus Roestius* triduò ante palpitationes potuit præfigire,  
 ex cru-

ex crudo & tenui propter commotum sanguinem & renum obstructos tubulos, quod id temporis reddebatur., lotio N. Tulp. observ. Med. lib. 2. cap. 19.

## IX.

Accedo jam ad frigus æstumve hypochondriorum, quibus, ac si febre corriperentur intermitte, urgeri aliquando *Magnus Sylvius Sapius citato tractatu afferit*, proq; febris intermittentis specie leviori omnino haberri vult. Nec afferere dubito in parte quadam hypochondriorum ortam esse inflammationem, & placet assertum *N. Highmor. in dissert. de affect. hypochond. p. 112.* quando ait, æstum in hypochondriis & quasi inflammatorum affectum, molesto ardore & fervore interno in hypochondrio, nunc uno, præsertim sinistro, nunc utroque ægros affligere, his enim positis æstus atque frigoris phænomena nullo negotio deduci poterunt. Omnia quæ in abdomen continetur viscera membranacea investiuntur tunica, quæ pro omnium membranarum natura constantes valde habent poros & facile mutari nescios, quos poros dum ingrediuntur humores, quales habet noster æger, crassi, terrestres ansam dant, ut in iis salini vel acidi sistantur ac hæreant, qui cum illos accuratè non repleant poros, exigua tamen quæ relinquent intersticiola plena esse debeant, eos trahit æther & quidem in iis mæandrorum angustiis vix credibili velocitate, dumq; fibrillas concutit & exagitat, in mente excitat æstus ideam, jam majorem jam minorem, prout modò memoratae obstructiones profundiores vel magis fuerint superficiariæ. Eadem fulgurans quasimateria, cum copiosa satis in vicinia habet sanguifera vasa, mixturam sanguinis in iis contenti turbat & sub initium fermentationibus quasi suffocatis facit, ut ab humoribus fibrillæ minus concutiantur, propter suppressum san-

guinis motum, quod frigoris in mente format ideam, eo majorem intensioremve quanto major illarum partium fuerit quies. Nec hæc continua sunt, sed interpolatis invadunt vicibus, quod fortuitum quid prorsus sit talis obstructio, & à minimis dependeat circumstantiis, nec illæ obstruktiones sint profundæ, sed tantummodo fiant in superficie viscerum, ut adeò eadem rursus facilitate obstrutæ partes deobstrui possint, unde caloris frigorisve orientur vicissitudo, adeò ut mirum jam non sit æstum hypochondriorum intensus frigus quandoque præcessisse.

## X.

Alvus adstricta cum murmuribus & rugitibus intestinorum, & hæc omnia cum præcordiorum anxietatibus tantam habent affinitatem, ut hanc illis hic annexere satius esse duxerim, quam hanc peculiari thesi juxta historiæ seriem explanatam dare. Quæ omnia sine difficultate expediemus, si recordemur illorum quæ Thes. V. dicta sunt, melancholico nempe sanguini varios admistos esse humores, quorum austерitatem hæc arguunt phænomena, observatum id reperies à diligenti observatore Th. Sydenham in sepius citatâ Dissertatione quando scribit. *Quin et omnibus tam hystericis quam hypochondriacis, quibus scilicet malum jam inolevit, id accidit, ut flatus quandoq; nidorosos è ventriculo emittant, quoties aliquid comedent, licet moderatè tantum et pro ratione appetitus, tum etiam aliquando acidum eructent, acetum sapore referens, quoties in os ascenderit.* Acido-austéri humores à sanguine in ventriculi depositi tunicas, dum poris illi⁹ impinguntur adstringunt & pro austeriorum natura contrahunt, & illam præcordiorum constrictionem anxietatem dicere solemus. Nec dispar ratio est illorum quæ in intestinis aguntur, tunicarum enim obstructis tubulis humorum qui interiora illo-

illorum lubricare debebant, impeditur affluxus & cellulae illorum angustantur, unde non solum non facile excrementa descendunt, sed descensura retinentur, alvo pertinaciter adstricta quicquid adhuc humidi in excrementis est à corporis calore exhalatur, illaque dura fiunt. Arteriarum pori, fatusque circumiacentium partium sine intermissione vaporosos suppeditant humores, qui sub forma vaporis per viscera feruntur, sed in intestinâ depositi propter poros tubulosos adstrictos & obstructos egredi nesciunt, sed coarctati illa distendunt, juxtaque illorum longitudinem lati, rugitibus & murmuribus se produnt & ἔγγαστρηνδοι appellantur, & sic clarum puto cur nostri hypochondriaci intestina murmurent & rugiant.

## XI.

Tumidus se offert lien, qui, veterum secutus placita, peculiarem hypochondriacæ constitueret speciem, spleneticam dictam, si magis auctoritatibus quam rationibus moverer, tot illi enumerabant species quot partes primariò affectas videbant. Numerabant scilicet mesentericam, stomachicam, epaticam, spleneticam, cardiacam, hysterical, hæmorrhoidalē, phantasticam, sub qua ultima reliquæ, ceu species sub suo genere, meritò continentur. Non enim putandum est, quasi hujus mali causa in tali aliquo viscere contineatur, sed saltem illud viscus propter peculiares quasdam circumstantias à sanguine magis affici quam reliqua tenendum est, quod infortunium in nostro ægro incurrit lien, & ille quidem ut plurimum affici solet, ut hunc affectum germani die Milz-Krankheit appellare soleant. Ratione conformatiois præ reliquis visceribus facilius affici debet. Est enim lienis corpus totum membranarum congeries in cellulas & concamerationes efformata seu distincta, quæ cellulæ

figuram & magnitudinem irregularēm habent, prout situs & capacitas exigunt, & mutuam communionem habent in ampli trunci latera, ut jam reliqua taceam, mediis foraminibus, quibus tanquam stigmatibus pervia est venosa tunica, quodque hic peculiariter notandum, has venas nec comites habere arterias, nec nervorum propagines, cum ubique in cæteris animalis partibus ferè semper arteriarum, & venarum, quin & nervorum hiatus & productiones consocientur ita differente *M. Malpighio de struct. viscerum de liene cap. 3. & 4.* Quid jam conceptu facilis, quam quod crassi humores è sanguine in cellulas depositi in iis facilis hæreant, quod per illa stigmata pars eorum venas subingredi debeat, quām in aliis visceribus, adeoque præ illis lien in hoc morbo intumescat. Non jam recensebo causas quæ his in liene hærentibus humoribus fermentationem inducere possunt, sed quales quales illæ sint, toties quoties id fiat dilatis singulis cellulis mirè lien turgere debet. Meaq; facio verba *Th. Willifii de morb. convuls. c. II. p. 123.* Dum hæc perpendo, quod olim de lienis usu annotaveram, longè probabilius videtur, quod nimirum à sanguine per arterias advecto portio quædam fæculentior in hoc viscere deponatur, quæ illic velut digestione exaltata, & in fermenti naturam evecta, denuò sanguini per venas refluò committatur, quæ ipsum *γυμνάσι* quadam inspiret, atque circa *πνευματώσιν* ejus idem præstat, quod fermentum nostrum massæ farinaceæ commistum. Nam sicuti panis incocti portio quædam ad austерitatem servata istam indolem aſsequitur, ut panes, alios fermentet, eorumque particulas alias segnes in mortum vindicet; ita videtur quod sanguis in liene reconditus, ibidemq; velut stagnatione acescens, fermenti naturam induat, quo quidem reliqua cruoris massa, aliisque forsan humo-

humores, tanquam spiritualisati, in motum vividiorem,,  
actuentur. Et cum œconomia animalis dicat singulis respi-  
rationib⁹ modo attolli, modo complanari diaphragma, cō-  
planari verò nequeat quin abdominis viscera detrudantur,  
statim apparet, cur liene mirè tumido, utpote propter mo-  
lem cedere nescio, difficillimè respiret. Ut jam taceam reli-  
quorum viscerum & muscularum obstrukciones & spiri-  
tuum penuriam pariter suam conferre symbolam.

## XII.

Symtoma sunt vigiliæ molestæ hypochondriacis fa-  
miliarissimum, quod tamen eodem omnes non afflit  
modô. *In primis verò vigiliæ, inquit, D. Sennert. lib. III.  
Med. pract. p. 5. S. 1. c. 4 post medium noctem plerosq; molestia-  
re solent.* Etsi enim post cœnam ad medium noctem aut ho-  
ram primam noctis satis bene dormiunt, tamen postea evigi-  
tant, & alii quidem duabus vel tribus horis vigilant & de-  
mum manè circa horam tertiam vel quartam iterum dormi-  
re incipiunt, alii verò planè iterum dormire non posunt.  
Et qvomodo vigiliæ, hisce morbi procellis excarnifica-  
to amœnæ esse queant non video. Spasmodicæ con-  
vulsiones, præcordiorum anxietates, molestæ cordis pal-  
pitationes, frigoris & caloris hypochondriorum vicisfi-  
tudo, &c. illas omnino molestas reddunt, si nullâ aliâ de-  
causâ, ideo tamen qvod ægrum in somnum proclivem  
continuò exsuscitant, & dire torquent. Continuus me-  
tus, profunda tristitia angunt & nocent, & ferè miseras  
faciunt vigilias, dum ad somnum proclive corpus sine  
reqvie exsuscitant, non vigilat igitur, sed angitur & con-  
tristatur, seu ut verius dicam vigilando angitur & metu-  
endo vigilat, o miseras o verè molestas vigilias!

## XIII.

Vigilias nequaquam pacatior excipit somnus, qui

quies sine requie est, in illo turbarum plena sunt omnia, qvot carnifex vigilarem cruciant, tot furiae quiescentem exagitant. Nec morbi conditio aliud patitur, omnium perceptorum cerebro impressa servari vestigia œconomia docet animalis, quæ quo sæpius aperiuntur eo illa fiunt existentiora & profundiora, ut majori postea aperiantur facilitate, & cum aperiuntur, ex lege conjunctionis, mens illas res, quarum sunt vestigia, iterum percipit. Sopitum quando ægri nostri corpus est, seu qvod eodem redit, cum ob aliqualem spirituum defectum subsidere unà cum ventriculis nervorum tubuli, cum massa sanguinea crassa & terrestris sit, pauci illi, qui durante somno excernuntur spiritus crassiusculi sunt, qui cum continuò in suo motu perseverant impingunt in ventricolorum latera, illaq; reserant vestigia, qvæ præ reliquis aperto sunt faciliora, quod dum mens percipit ex consuetudine judicat à similibus illa denuò reserari objectis, quod tunc temporis nulla habeat data, ex quibus à causa interna id provenire concludat. Cumq; sine ordine ullo, sed forte fortuna jam ex his jam ex illis tales erumpant particulæ poris, quæ sine discrimine modo hæc modo illa aperiunt vestigia, diversissimæ res menti representantur, qvas male cohærentes, dum illas seriatim connectit, ludicra fiunt insomnia, & si qvorundam objectorum notæ, vel cum quadam animi passione, vel aliam ob causam & profundæ & familiares fuerint, illæ præ reliquis aperiuntur, hinc

*Navita de ventis, de tauris narrat arator,*

*Enumerat miles vulnera, pastor oves.*

Nero Cæsar nunquam somniare solitus dicitur, nisi post Matrem interfectam, tunc trahi se ab Octavia uxore in arctissimas tenebras, pennatarum formicarum multitudine

dine oppleri, à simulacris gentium ad Pompeji theatrum dedicatarum circumiri, arceriq; progressu per quietem, Svetonio teste, vidit. Miltiadis trophæa Themistocli somnum adimebant. Tantus erat Marcelli cum Annibale dimicandi fervor, ut in somnis singulari certamine sæpe cum eo congrederetur. Eo alludit *Seneca in Octavia*

*Quæcunq; mentis agitat infestus vigor:  
Ea per quietem sacer, & arcanus refert  
Veloxq; sensus.*

Hæc ratio fuit moris ejus qui obtinuit in quodam Thebaidis monasterio, ut, quoties aliqua sororum minùs pudica somnia habuisset, abbatissæ confiteretur, & cinere stratis insperso pœnitentiam ageret. *Sabellicus lib. 2. cap. 3.* Ad has naturales somniorum causas respexere, conjectores, apud qvos receptum fuit, ut quæ post vina & cibos, quæve repetito somno eveniebant insomnia, quæve fiebant, cum folia ex arboribus decidebant, ea plerumq; vana existimari. *Alex. ab Alexandro in Genialium dierum lib. 3. cap. 26.* Quid igitur miri est, qvod nostræ æger, cuius cerebro passiones metus & tristitia tam vehementes & frequentes profunda & familiaria admodum impresserunt vestigia, qvæ tempore somni à particulis crassi sangvinis crassioribus, aperiri mira facilitate potuerunt, turbulentis insomniis fuerit obnoxius.

#### XIV.

Qvibus ostensis conceptu facile est, cur tanquam furiis actus sæpe è lecto profiliat, reddit enim eadem nocturna qvies, quæ interdiu tristitiam vel metum ipsi incutiebant, structura autem nostri corporis talis est, ut præterquam quod hi spirituum motus in anima nostra perceptiones varias excitent, etiam absq; illa efficiant ut spiritus potius hos quam alios musculos ingrediantur, & inem-

& membra passionibus istis congruè moveant, quod ingeniosè more suo exprimit *Illustr. Renat. des Cartes de pass. part. 1. §. 16.* Deniqz, notandum est, machinam nostri corporis ita constructam esse, ut omnes mutationes, que accidunt motibus spirituum, efficere possint, ut aperiant quosdam poros cerebri magis quam alios; & reciprocè, ut cum aliquis ex his poris paulo magis vel minus solito est apertus per actionem nervorum, qui sensibus inserviunt, hoc mutet aliquid in motu spirituum, & efficiat ut deducantur in musculos, qui inserviunt movendo corpori, eodem modo quo ordinario moverur occasione talis actionis. Ita ut omnes motus, qui nobis eveniunt, voluntate nostra nihil ad eos conferente (ut sep evenit nos respirare, ambulare, & deniqz omnes actiones facere, que nobis cum bestiis communes sunt) non aliunde pendeant, quam à conformatione nostrorum membrorum & cursu quem spiritus excitati per calorem cordis naturaliter sequuntur in cerebro, in nervis & in musculis: Eodem modo quo motus automati producitur sola virtute manuclæ & figura suarum rotularum. Cum igitur animæ occasione fluxus spirituum subitaneum & inopinatum repræsentetur periculum, illud dum omnes suas explicat vires, ut tam præsentem vitet perniciem, aut cum malum illi repræsentatur ut suum, vinculis quasi cor coarctatur, quæ omnia illam reddunt anxiam, ut incolumitati corporis prospectura & pericula vel mala aversura quid agat nescia, lymphaticus discurrat æger.

## XV.

Tempore somni propter pauciores spiritus omnium partium subsident fibrillæ & tubulos angustant, eo tamen non obstante, cum propter continuatas sanguinis fermentationes, ex poris arteriarum crassiusculæ egrediantur particulæ, quæ ex angustiis tubolorum eluctare nequeunt,

unt in illis hærent, & varias pariunt obstrunctiones, ita ut humores ordinariò circulantes dum subsistunt, pondere suo dolorem faciant gravativum. Qvale quid à crapula patiuntur hesterna nonnulli, cum spirituosi liquores ebullire faciunt sanguinem, ut ea occasione crassi sculæ particulæ vi ex arteriarum poris extrudantur, quæ fermentationibus imminutis crapulâ discussâ stimulo destitutæ in cerebri tubulis, ceu omnium tenerimis, hærent & caput grave faciunt; quam ob pridianum vini potum ægritudinem repetita sed modica crapula discutiendum Germanorum jubet proverbium, Man fosse von desselben Hundes Haare wieder drauff legen, nec certè sine fundamento, iterata enim illa fermentatio hærentes extrudit particulas, & cum nimia non est, novas non causatur obstrunctiones, quo collimat Schola Salernitana scribens:

*Si nocturna tibi noceat potatio vini,*

*Hoc tu mane bibas iterum, & fuerit medicina.*

Eadem obstrunctiones in tubulis nervorum muscularum, & factæ non nisi ægrè spiritibus animalibus transitum concedunt, qui tardiori suo influxu debiliter & cum labore movent membra, unde à sommo corpus lassum est, donec auctis fermentationibus, & à corporis motu discussis obstructionibus, iidem spiritus denuò liberè influant, ut ita corpus solitâ moveatur agilitate & capitis cesseret gravitas.

## XVI.

Vestigiorum occasione objectorum cerebro à spiritibus impressorum Thes. XIII. meminimus, non igitur in alio consistet memoria, quam in facilitate, quam pori, qui jam antea per actionem objectorum fuerunt aperti, aut aliam quamcumq; causam habent, ad se denuò rursus aperiendos, ut idæ, quæ aliquando in mente earum

interventu productæ fuerunt, iterum formari possint, longo post tempore, quanquam objecta, ad quæ referuntur, præsentia non sint, docentibus R des Cartes *de homine part. 4. & L de la Forge de mente humana cap. 18.* Quæ talia vestigia obliterant, memoriam delent, unde optimè C. Plinius secundus lib. 7. c. 24. Nec aliud est æquè fragile in homine, de memoria loquitur, morborum & cæsus injurias. atq. etiam metus sentiens, alias particulatim, alias universa. Jctus lapide oblitus est literas tantum: ex prealto tecto lapsus, matris & affinum propinquorum cepit oblivionem: Alius agrotus servorum etiam: sui verò nominis Messala Corvinus orator. Georgius Trapezuntius, Franciscus Barbarus Venetus, Orbilius Pupillus Beneventanus, in senectute literarum obliti, famulus apud Tulpium, à supino in occipitum lapsu, non meminit deinceps nominis sui, nedum domus è qua venisset, aut qvò contenderet delaturus, quas manu etiamnum contineret, literas, lib. 4. cap. 14. Sed non opus exemplis esse reor, namque ægritudo nostro ægro ademit memoriam, quod crassiores è sanguine extrusæ particulæ, continuò suo incursu vestigia rerum immutaverint partim, partim deleverint, ut ab iisdem denuò, quas antea formaverant, in mente excitari nequeant ideæ, vestigia enim illa à cursu spirituum animalium inter fibras cerebri relicta quoque determinare poterant eos, ut secunda vice per eosdem poros egredierentur eadem qua prima vice ratione, ut eadem species super glandula de novo reproducatur, quæ non amplius reperiuntur, unde omnem ferè perdidit memoriam.

## XVII.

Infesti corporis inquilini, quos hactenus recensuimus, dum corpori ruinam minitabantur atrociore truculentia in animum insurgebant, ut propter hujus angores & cor-

& corporis ægritudines verè miser fieret homo, propria namque melancholiæ hypochondriacæ & diagnostica signa unanimi medicorum consensu sunt metus & tristitia, sed sine manifesta causa. Horum rationes datus, res flagitaret, ut affectuum naturam penitus introspicerem, quo eos, eo, quem hactenus in his Thesibus servavi, ordine, hoc est clarè & distinctè explanarem, sed cum illud opus sit à tot seculis actum, nec tamen confectum, harum pagellarum angustias excederet. Id nisi peregit, egit certè Illustris Ren:des Cartes, *in suo subtilissimi ingenii fætu, incomparabili videlicet de passionibus animi tractatu*, è quo nonnulla nostro scopo inservientia mutuabimur. Ostendit in illo animæ passiones esse perceptiones, aut sensus aut commotiones animæ quæ ad eam speciatim referuntur, quæq; producuntur, conservantur & corroborantur, per aliquem motum spirituum & singulis animæ passionibus peculiarem spirituum junctum esse influxum mechanicum prorsus, qui dilationi vel contractioni orificiorum cordis, aut impeliendo varie ad ipsum sanguini, qui in aliis partibus est, aut quocunque modo fovendo eidem passioni inserviat. In tristitia verò cum pulsus sit debilis & latus, & quasi vincula sentiantur circa cor, quæ illud coarctant, ac stiriæ quæ illud congelant, & totum corpus fiat frigidum, facile intelligitur, in illa cordis orificia valde contrahi nec sanguinem valde agitari, & cuī ex alibi dicitis pateat, propter arctam corporis & animæ conjunctionem fieri, ut cum semel quandam corpoream actionem cogitationi alicui junximus, altera deinceps se non offerat, quin se pariter altera exhibeat, cogitandum est aliquando sub initium nostræ vitæ, corpus opus habuisse nutrimento, unde anima primitus contristata fuit, seu languorem habuit ingratum ex defectu vel malo quod

impressions cerebri ipsi repræsentabant ut suum, & hinc factum esse, ut via cordis ventriculi valde paucum recipiebant sanguinem, se contraxerint, unde ortum ut talem languorem ingratum ventriculorum cordis contractio sequatur. Hoc modo intellectus *Willisius Pathol. part. cap. ii.* In mœstia in primis inquiens, animæ pars flammæ seu vitalis, quoad ambitum suum coarctatur & intra brevis spatium coercetur, dein consequenter pars animalis, sive lucida spharam suam contrahit, ac minus vigoratur. In timore autem utraque subito reprimitur, & quasi nutare, atque intra minima spatia se continere cogitur: in utraque passione sanguis non vegete, & cum pleno incendio circulatur, & efflagrat, verum circa precordia aggeri, & restagnare aptus, ibi gravamen, aut deliquium ciet. totus in nostram abit sententiam. Et quemadmodum cœlo solito sereniore existente sani hilaritate quadam, à motu spirituum in cerebro excitato, perfunduntur, vel illo existente nubilo, contrastantur; Quidni ægri nostri terrestrior sanguis segniores extrudens spiritus, qui impressiones suas facient in cerebro absq; animæ adjumento, languorem excitabit ingratus: cumq; tam distinctè nequeat observare, unde procedat, se tristè sentiet mens sine manifesta causa: hæc passio vice versa serrabit cor sanguinemq; quasi congelabit, & causa majoris erit languoris, adeò ut effectus causa & causa fiat effectus, aucta q; tristitia tristissimum homo sit spectaculum. XVIII.

Fidæ mœroris pedissequæ, lachrymas volo, ægri nostri irrigant oculos, quod quamvis in maribus rarius obvenit, illos tamen fletui ex nulla *æg. Patr. quandoq; obnoxios reperiri annotat Th. Sydenh. Diss. epist. ad Guit. Cole pag. 463.* Accersebæ aliquando ad virum tam ingenio quam genere nobilem, qui non nisi paucis diebus à febre convalesceret, alterius Medici consilio iufus, qui & sanguinem contraxerat,

traxerat. Et pharmacum catharticum ter exhibuerat, tum etiam carnis illi interdixerat. Hunc ubi vestitum conspexeram, Et de rebus quibuslibet cum judicio differentem audieram, rogabam quorsum me conveniret; respondit familiaris quidam ejus, modo expectarem paulisper, res ipsa loqueretur; confidens itaque. Et sermones cum ægro trahens mox observavi labrum inferius pendulum protrudi, cum motitatione crebra (uti solent infantes morosiores fletum adornare) Et exinde ægrum in tantas solvi lachrymas, quantas vix alias vidi unquam, cum gemitu ac suspiriis tantum non convulsivis. Qui tamen repentinus torrens non ita multò post detumuit prorsus. Cum humor guttatum ex oculis effluens in genas destillat, lachrymæ dicuntur, quod non sit, nisi vel læso oculo, vel passione quadam commoto sanguine, arguiturq; plures in oculi vicinas partes deponi humores quam ut eodem tempore resorberi queant; quod cum tristitia non cohærere videtur; cum illa sanguinem refrigeret porosq; contrahat, quo ipso impeditur copiosior humorum depositio & depositorum effluxus, unde etiam observamus profundam tristitiam lachrymarum esse expertem, nec tristes continuò sed per intervalla lachrymari. ex quibus concludere licet, solam tristitiam, nullo alio affectu, qui sanguinem commoveat stipatam, lachrymas non protrudere; illam hictali affectu comitari gemitus & suspiria indicio sunt. Amor vel cupiditas in nostro ægro dum contristatur id agant, vel alia quæcunq; causa eodem tempore sanguinem agitat vehementius, vi vehementioris motus plures extrudentur humores, quam ut illos meatus, refluxui destinati, à tristitia contracti resorberi possint. Hæ lachrymationum salivæ ex oculis delabuntur, quod numerosissima peculiarium ductuum ostia oculi globum respicientia, de quibus

## DISSERT. DE ÆGRO

30 quibus videri potest H. Meibomii de *vasis palpebrarum novis ad J. Langelottum epistola*, hic plures, quam in partes alias, exonerent humores, quos oculorum motus continuo expellit, sicq; æger noster in lachrymas solvit, & per intervalla totos quandoq; plorat dies.

## XIX.

Præsentis mali, tanquam ad nos spectantis, consideratio tristitiam parit, & cum noster æger sine manifesta causa contristetur, in consideratione præsentis mali, sed sibi incogniti, dum illud ceu ad se spectans considerat, vicissim totus hæret, ac quatenus illud proximè eventurum considerat, metuit, ut hoc in casu tristitiae faboles metus sit. Efficit verò manifestæ causæ ignorantia, ut illam externo cuidam objecto adscribat, quæ cum ad unum omnia hic sint innocentia, nulla alia ratio est cur potius huic quam illi attribuatur, nisi cum quodpiam mentem præ reliquis ad sui rapit attentionem, tunc ea ex consuetudine hoc illius causam judicat, ita ut hujus recordari non possit, quin oppidò metuat, imò licet mens ex aliis edocta circumstantiis certa sit, nihil sibi ab illa re periculi fore, quia tamen hujus ideæ passionem metus semel junxit, illa subseqvente tempore vel nunquam vel difficillimè sejunget. Et ut plurimum videbis verum esse id quod dicit Joh. Fernelius de partium morbis & sympt. l. 5. c. 2. p. 269. qualis nimurum maximè olim fuerit ægri intenta cogitatio, aut qualis vitæ conditio, talis sese repræsentat melancholica deliratio, imò & variæ melancholicorum delirationes. Ex relatione Dni. Præsidis teneo, cuius præ manibus habeo historiā, ægrum sacra synaxi ex more usurum in suburbio cū contubernali pernoctasse; nec obstante, quod intime sibi conscius esset fidum esse sodalem, se tota nocte ne ab illo obtruncaretur,

retur metuisse, qvod ut præcaveret, neq; imparatus inveni-  
 retur continuò illius togæ extremū dextra manu cōtinuisse  
 & licet omni modo fuerit annis hunc vanū excutere me-  
 tum, frustra tamē omnem ipsius fuisse conatum, & se ingra-  
 tiis metuisse. Melancholicorum proprium est, inquit Th. Barth.  
 hist. anat. cent. i. obs. 79. non timenda timere, & fingere, que  
 nec picta unquam sunt, nec scripta. Melancholicumq; est  
 signum si metus & mœstitia longo tempore perseverent.  
 Hippocr. sect. 6. aphor. 23. Qvæ omnia cum ex dictis de-  
 pendeant causis, nihil tam absurdum & ineptum erit,  
 quod non Melancholici sibi imaginentur, ut omnes illo-  
 rum stultas imaginationes comprehendere vellesit actum  
 agere. Omnium loco sit fastidium Melancholicum. *Jac.*  
*Seidelii obs. ad Th. Barthol. misarum 2. Singulari quadam me-  
 lancholia specie Gryphiswaldia Pomeranorum multos annos  
 detenta est honesta quædam & primaria familia Matrona,  
 quæ anno etatis vicesimo marito suo nupta, trigesimum nunc  
 annum cum eo vitam in conjugio sterili agit. Hæc mente qui-  
 dem integra & vegeta est, nec quidpiam à ratione alienum  
 loquitur, veruntamen aversatur ea quæ aversari non debebat  
 & vitiosam ad cibos, pótus, homines, vestimenta & cateras  
 res offensionem atq; fastidium obtinet, propterea fastidium  
 melancholicum aptissimè dici posse arbitror. Sensit primum  
 fastidium hoc paucis annis post contractum cum marito suo  
 matrimonium, ut nec undelibet allatis, nec à quibusvis homi-  
 nibus, vel in quibusvis vasis preparatis cibis aut potionibus  
 frui posset, & si aliquando ad convivium ab amicis appara-  
 tum invitaretur, panem carnes & reliquos cibos prius undi-  
 quaq; circumcidet, quam eos ori admoveret, nec communi-  
 cum marito nedum cateris cantharo uteretur. Ante annos  
 verò circiter sedecim, puella cum qua illi summa amicitia ne-  
 cessitudo & cum qua sanguinis conjunctio domesticusq; usus &  
 consue-*

consuetudo fuit epileptica convulsione correpta est. Ejus proximi terrore fastidium hoc adeo auctum est; nam ab eius tempore solum maritum suum ejusq; ex fratre nepotem in eis suas admissit, ceteros omnes, tam exteroros, quam domesticos & cognatos excludit, quod ipsos in epilepticorum familiaritate versatos esse suspicetur. Sed nec maritus quosvis homines nisi ipsa volente & consentiente appellare audet. Ad hanc annis fere generis cibos ac potus ab eo temporis spatio aversatur, eosq; vel ab epilepticis vel epilepticorum consuetudine uentibus attrectatos esse veretur. Aliquot annis solo pane a certo quodam pistore empto, cibi, & sola aqua ex certo quodam puteo hausta, potus loco usq; est, postea utrisq; tam pane quam aqua illi suspectis redditis, jam biennio solo lacte ex propria vacca, quam ejus rei causa domi sua alit, nec ceterorum pecorum gregi adjungi sinit, multo vicitarit. Eadem quoq; de causa multis jam annis ab usu Cœnae Dominice abstinuit. Adhac vestes interim non mutavit, qua cum quotidiano usu jam prorsus attrita & dilacerata sint, in publicum quod ante hac facere solita est prodire non audet, nec novas sibi parari vult, quod omnes sartores, sutores, pelliones & ceteros opifices de epilepsia, vel epilepticorum familiaritate suspectos habeat. Deniq; ex omni sua supellecile amplissima nihil praeter unicum cantharum & lectulum in usum adhibet. Et lectum quidem cum marito communem habet, cantharum vero ex quo consuetum suum lac haurit, & vestes suas nec maritum nec alium quenquam contingere patitur. Commiseratione profecto dignus casus, quod optimilla Matrona in summa rerum omnium abundantia nullis propemodum escis vel potionibus famem sitimve depellere, nec necessariis vestimentis corpus tegere, nec aqua sordes vel corporis vel vestium abluerre posse, sed miseram in solitudine squalore & immundicie vitam traducere cogatur.

## XX.

In omnibus passionibus fit , qvod spiritus in cerebro contenti in nervos influant , orificia cordis dilatent vel contrahant , sanguinem aliarum partium varie ad illud impellant, aut quovis alio modo sanguinem afficiant, exinde oritur tanta pulsuum varietas, qvavis passione peculiarem sibi vendicante. Dulcis pectoris in amore calor mutatur ab odio in asperum & pungentem intermixto frigore; gratus per universas corporis partes in laetitia diffusus calor, totus à tristitia abit in frigiditatem , & quæ passio agitat cor violentius cupiditate? Ira si commoveatur æger acerbè lugebit. *Ira enim est, inquit Philosophus de passion. part 3. § 199. species odii aut aversionis, quam habemus erga eos qui aliquod malum fecerunt; aut qui conatis sunt nocere, non indifferenter quibusvis, sed speciatim nobis.* Atq; sic idem continet quod indignatio, & hoc amplius quod fundamentum habeat in actione qua nos spectat, & cuius ulciscenda cupiditate tenemur. Hæc enim cupiditas illam ferè semper comitatur, ac directè opponitur gratitudini, ut indignatio favori. Verum incomparabiliter vehementior est aliis hisce tribus affectibus, quia cupiditas repellendi res noxias & se se ulciscendi est omnium urgentissimum. Hæcq; cupiditas juncta amori sui ipsius, ira suppeditat omnem sanguinis agitationem quam animositas & audacia efficere possunt. Et odium efficit, ut hanc agitationem sucipiat præcipue sanguis biliosus, qui ex liene venit, & ex parvis venis jecoris, & ingreditur in cor, in quo propter suam copiam & naturam bilis, quam admixtam habet, excitat calorem longè asperiorem & ferventiorum eo qui potest excitari ab amore aut laetitia. Hac passione concussum ægri nostri terrestris sanguis efferatur penitus, qui antea non nisi cum labore commovebatur, semel commotus, ferocit, quo impulsu cum impetu egredien-

tes crassiores spiritus, dum in suo statu esse perseverant, in conarium undique irruunt; singulæ verò passiones cum excitent in mente ideas, & illæ hic in tanta copia & tam notabiles fiant, anima obstupescit, nec corpori prospicit, ablata omni resistendi totidem quasi malis facultate, quibus detenta mens ad peculiares non attendit motus nervorum, nec spirituum distributioni vacat vel vacare potest, seu functiones cessant animales, & homo extra se positus ecstasim patitur. Cessante pedetentim sanguinis impetu, particulæ, nec tam multæ, nec adeò vehementer motæ, è plexu choroideo in ventriculos deponuntur, nec tot & tam notabiles illarum ictus excipit conarium, sed illis imminutis incipit illos paulatim adverterere mens, qui cum sint plures & valde inordinati, variae & confusæ menti offeruntur res, quas cum judicando connectit, fando prolatura in musculos, linguae motui destinatos, spiritus determinat, quorum determinationem impetuosi eludunt spiritus, ut potius in muscularum, quibus destinabantur, antagonistas influant, atq; ita loco distincti sermonis inconditum fit murmur. Durante etiam hoc paroxysmo solito crassiores ex poris extrusæ, & in capillaria faciei vasa adactæ, particulæ pallore squalidam faciunt. Non recordatur actorum, quod cerebro impressæ notæ in paroxysmo modo aperiantur, modo obliterentur, & mera illarum sit confusio, ut sibi restituta mens, seposita consternatione, illa relegere nequeat ad quæ non attendit, sed obstupuit. Nolim tamen putas B. L. iram solummodo tam truculenter sævire, paris aliæ passiones sunt atrocitatis, iræ eo fine mentionem feci, ut ratiocinia mea cohærere constet, vidit eadem *Dnus. Praes.* in hoc ægro à metu oriunda phænomena. Venæ sectionem æger persvasus admittere constituerat, quam adeò horrebat, ut noctem præcedentem tradu-

traduxerit insomnem, vena modo secta protinus labiis pallidescens concidit, & ex longo intervallo, multo labore vix aliquantis per sibi restitutus, primum incondita murmurare, paulatim magis intelligi coepit, quæ ex relatione ipsius contubernialis fuere, quæ codem manè in institutionum collegio praelecta fuerant, tandemque sibi redditus ubinam gentium & locorum fuisset interrogavit. Et observationes cocebunt ab aliis animi pathematibus idem fieri posse. Exemplo viri valde verecundi, qui cum extra urbem in pascuis ventris faburram deponere coactus esset, & forte fortuna à duobus viris per viam transcurrentibus à longè videretur, rubore confusus statim delirare coepit, id docet *P. Forest lib. 10. obs. 12.* Nec mihi jam tantum est otii, nec chartæ angustia permittit, ut ad omnes affectus huc facientes excurrain, præfiscine saltem dixerim, me simili facilitate illarum rationes daturum.

## XXI.

Dolorum, quos quandoque in ossibus percipit, alia non est ratio, quam eorum qui in reliquis partibus oriuntur, imminente videlicet fibris periculo ruptionis à corpusculis ad hoc aptis, qualia in hoc ægro reperiiri *Theſ. 15. diximus;* quæ delata cum arteriis ad osium interiora nervis talem causantur molestiam, quæ ideam excitet doloris. Ossa enim è vasibus, quæ suscipiunt, evidenter sunt venæ, obscuriores arteriæ, obscurissimi nervi. Hos tamen, non ad externam tantum membranam se diffundere, sed in recessus osium penetrare profundiores, dolor arguit; quem non paucis in locis cum detecta chirurgiæ subjiciuntur, manifestant. *Joh. Veslingius Syntagma. anat. c. 2.*

## XXII.

Fœtor in rebus ipsis nullus est, sed totus inde fit, quod effluviorum particulæ nervos olfactorios moveant, motu

menti ingrato, quem dum abominatur, illi foetet, ut in physicorum scholis pervulgatae famæ est. Foetidus, qui animadvertisit, sudor nos docet intestinum humorum motum fieri à particulis valde heterogeneis, atque multum à naturali abludere statu, & ita nos certiores reddit illorum quæ supra de humorum varietate diximus. Ex immunito medicamentis illo foetore Medico colligere licet imminentia morbum & declinare. Testatur ægri *awmoyegdo*, se 11. Februarii 1682. ex legibus artis depurata massa sanguinea jam à 4. Novemb. 1681. adsumto diaphoretico foetenrem exudasse sudorem dum scribit: *Drauff schwitzte ich zwar nur anderthalb Stunden/ aber so heftig als niemahls/ und hatte der Schweiß einen solchen durchdringenden Gestank daß man kaum bleiben konte.* Quod nequaquam, simili licet exhibito diaphoretico, octavo Martii, propter sanguinem magis depuratum, fiebat.

## XXIII.

Quanquam nequaquam eorum laudem Medicorum institutum, qui famæ suæ prodigi ob duorum grosforum lucrum ex urinis vaticinantur, quæ ex apportantibus artificio, honesto viro indigno, vel expiscantur, vel ex illorum gestibus conjiciunt, nullus tamen eo inficias easdem, cognito morbo ægriq; constitutione, multum lucis Medico apportare posse. Varietatis urinæ hypochondriaco-  
rum meminimus Thes. 2. In quodam, quæ quando sitetit per noctem, in lixivialem salem congelascere cœperit, ut cultro scindi non potuerit, quæq; asellos sicos in aqua maceratos redoleverit, observatum legesis *Eph. German. Dec. 1. ann. 1. obs. 63.* & ad unum omnes, qui de malo hypochondriaco commentati sunt, hujus fere meminere varietatis. Si renum substantiam consideremus experientia fultus. *L. Bellinus de structura Renum p. 70.* Illam, quam

usq; dum parenchyma nuncuparunt, nihil aliud esse, quam canaliculorum & capillarium meatuum, per quos urina in pelvem effluat, aggeriem docet, per quos si transcoletur urina tenuis & limpida, tunc indicio est, ut reliquas partes, ita etiam illos esse crassis humoribus oppessulatos, ut solae aquæ & flexiles transcolari potuerint, adeoq; se pessimè habere hominem, ut vi passionum, vel alias ob causas in mæandrorum angustias adactæ particulæ obstructiones pepererint, & multorum superius memoratorum symptomatum existenterint causa. Qui canaliculi, si fuerint patuli, non impediunt, quo minus serum illos, qui in sanguine abundant humores, in copia secum educat, est vero in hypochondriacis totum humorum colluvies & tanta affectuum vis, ut modo hic modo illi, promptius cum sero à sanguine secedant, quæ pro varia proportione ad invicem, tanta in urinis ludunt varietate, de qua F. de le Boe Sylvius prax. med. append. tract. 7. §. 31. Urina observatur plane varia, nunc pauca nunc multa, nunc tenuis nunc crassa, nunc albicans vel aquæa, nunc rubicunda nunc nigricans: In qua plerumq; subsident arenulae rubicundæ tenuiores crassioresve, laterum contusorum farinæ non absimiles, & nitentes. Nunc in fundo & parietibus subsidentes, nunc in superficie innantes, nunc per contenta omnia dispersæ. Nec urinæ colores magis mirabimur, cum chymia doceat diversis liqvoribus confusis varios produci colores & Mercurialis lib. de urinis cap. 6. clysteres ex sola sapa factos urinas atras reddidisse observaverit, at quam facile est id in tanta fieri particularum heterrogeneitate. Qvanta affectuum in hoc passu vis sit, quivis facile animadvertisit, qui ad illa quæ Th. 17. diximus, paulum attendit; Cum tamen pauca Th. 20. de iræ in hoc affectu efficacia dixerim, ejus specimen quid immutanda urina valeat, hic subnectam, habet id. Thom. Sydenham.

denham, dissert. epist. ad Guilielm. Cole p. m. 462. Tertius jam agitur annus, à quo Nobilis quidam me sibi Medicum volebat, qui colicam Hypochondriacam pati mihi videbatur, ad passionem iliacam ferè accendentem doloreq; & vomitu enormiori: qd morbo diu multumq; fuerat vexatus, & tantum non frater. Per omnem morbi decursum sedulus animadverti, qd ubi pessimè se habuerit, urina limpida & exors coloris semper fuerit, quando verò paulo melius, ad citrinum vergeret illa. Hunc die quodam adiens, urinam conspexi quam tribus vibus excreverat, in matulis totidem reservatam, citrino colore præditam: latus ipse hilarisq; cibum ex sumēmis aliquem jam adsumere meditabatur, invitante, quod mihi dicebat, appetitu, in quo temporis articulo superveniens quidam eosq; bilem commovebat, ut exemplò agrotans matulam deposceret, quam urinā limpidissimā crystallum colore amulante, ferè implevit.

## XXIV.

Solet hic morbus in initio facilius longè curari, & inveteratus non nisi ægerrimè, cum enim habitualis factus est ægrè admodum, aut vix omnino curatur, & licet lethalis esse non soleat, diuturnitate tamen molestus est, unde etiam flagelli & opprobrii medicorum nomen accepit, tumorq; lienis curationem fore difficillimam indicat. Qvæ omnia cùm in nostro obtineant ægro, accidente diæta, non adeò regulari, accendentibus spasmis ferè universalibus, qui non nisi morbo hoc in pessimum statum evecto contingere solent, teste Th. Willis. de morb. convuls. cap. 10. p. 102. ægrè admodum aut vix omnino curabitur. Huic prognosi reliqua in historia commemorata symptomata adstipulantur. Cum tamen juvenis sit, & omnem promittat diligentiam, arduum hoc opus omnino aggrediendum censco, illudq; Dn. Præsidem sat feliciter aggressum mihi constat.

Utcunque sic explicato morbo, cuius causa omnia  
hactenus dicta sunt cura aggredienda est, cum igitur san-  
guis crassus, terrestris, capiti ferè mortuo analogus, hacte-  
nus culpatus fuerit, ille omnibus modis corrigendus erit  
incidentibus, attenuantibus, aliisve appropriatis medica-  
mentis. Quæ cum minorem sanguinis quantitatem mul-  
to facilius regere possint, & ejus imminuta quantitate,  
ille sæpius redeat ad cor, curam à sanguinis emissione ex-  
ordiendam censeo, eamq; in progressu aliquoties omni-  
nò reiterarem. *Quod et si plerosq; non docuisse, aliquos etiam*  
*improbasse sciam, longà tamen observatione innumeros hac ra-*  
*tione sanatos fuisse à chirurgis quibusdam, vel aliis, qui ex*  
*professo hisce morbis sanandis operam dabant, cognovi: qui vi-*  
*gesies, sexagesies quoq; venas tundendo insanos penitus, vel me-*  
*lancholicos ita restituerunt, ut postea incolumes adhuc longam*  
*vitam vixerint, inquit Fel. Platerus Tom. I cap. 3. p. m. 122.* Et  
optimè circa venæ secundæ modum annotat *H. Mercuria-*  
*lis lib. I. c. 10. p. 52.* à chirурgo foramen venæ debere fieri am-  
plum, quod crassus & melancholicus sanguis vix alias ex-  
ire posse, & ex monitu Avicennæ, in eundem finem bra-  
chium nonnunquam in aqua calida detineri debere. *D.*  
*Sennertus Tom. II. lib. 3. part. 5. Sect. 1. c. 6.* probavit quidem  
venæ sectionem si plethora simul urgeat, & magna pars  
materiæ vitiosæ venæ cavæ jam sit communicata, & cir-  
ca caput phlogosis aliqua adsit, sed cum putet humores  
morbi causam in venæ portæ ramis consistere, nec ullus  
venæ portæ rami ad extrema corporis pertingat exce-  
pto hæmorrhoidalí, hinc nullam venæ cavæ ramos inci-  
dendi, necessitatem judicat: verùm si insignis ille, & su-  
pra titulos omnium retro medicorum vir, sanguinis sci-  
visset circulum aliter longè fuisset ratiocinaturus. Circa  
venæ

venæ eleætionem valde solitus non essem, cæteris tamen paribus, illam pedis potius eligerem, cum rationi consono sit, sanguinem in inferioribus truncis reperiendum reliquo esse crassiorem, quod animadvertisit *H. Capivaccius lib. i. p. 112* dum scribit. *In melancholia hypochondriaca nunquam secunda est vena brachii*, licet Practici hoc non observent, fundamentum est (cujus pretio jam nihil detrahatur) nam sanguis subsistit infra jecur, & præterea sanguis ille sursum mittit vapores, ut oporteat deorsum retrahere, non ad brachia. Arteriotomiam non suaderem, licet illam intra unius anni spatum plus decies felici successu in melancholia hypochondriaca &c. *J. Dolæus Ephem. Germ. Dec. i. ann. 6. & 7. obs.* 60. celebraverit, quod prærogativa, quam habet præ venæ sectione, periculo inde metuendo mihi æquipondare non videatur, si tamen hæmorrhoidum fluxum excitare possem, multum mihi ab illo promitterem emolumenti. Et licet hirudines & cucurbitulæ scarificatae sanguinem imminuant, ab illis tamen abstinerem, quod è venis capillaribus subtilissimum elicant sanguinem.

## XXVI.

Sangvine per venæ sectionem imminuto, oportet ut crassus incidatur, austerus corrigatur, obstrunctiones reserrentur, viscera à terrestri fæculentiâ mundentur, beneq; notat *Capivaccius* totam curationis difficultatem positam esse in materia obstruente, quam interdum tam crassam & viscidam esse dicit, ut expugnari nequeat. Huic scopo ut satisfiat præscriberem medicamentum, qvod in copia possit adsumi, ut sanguinem diluat, multis medicamentosis particulis imprægnet, qvæ illum omni tempore corrigant, & cum eo ad omnia corporis viscera delata obstrunctiones illorum deobstruant. Tale erit Apozema particulis ligneis, rigidis, & solidis imprægnatum, ligni & corticis

corticis guajaci, quæ pituitam potentissimè incident, adderemque temperatoria, radicem chinæ, sarsaparillæ, lignum sassafras, tamarisci, coit. radic. capparum, polypodium quercinum, illis addendo radicem bryoniæ, quæ humoribus fermentationem inducat, & simul alvo adstrictæ opituletur, nec disvaderem doronici pedemontani, si haberi possit, usum, in quo ad sensum ostendi metallo potest, teste J. N. Pechlino de purgantibus pag. m. 297. utq; illæ particulæ eò citius commoveantur, herbarum, tanquam ad motum prointiores, adderem particulæ, scil. fumariæ, chamaedrios, cardui benedicti &c. pro feliciori extractione pulvere in tartari albi addendo; his vel similibus in aquæ chalybeatæ q. s. per noctem infusis calidè, & in diplomate decoctis, colaturæ appropriatus syrups v.g. cardui benedicti, fumariæ &c. addatur, non omisis salibus alcalicis & essentialibus, de quibus in sequentibus. Denique in hunc finem ægro huic commendarem pulvere in patrum, sive corticem peruvianum, propter vim aperiendi, discutiendi, attenuandi, resolvendi, cuius vires, in hoc passu laudat Th. Sydenham in *Dissert. epist. ad Guil. Cole p. 474.* Adhæc Peruvianus cortex eximas mirandasq; vires in sanguine & spiritibus confortandis, invigorandisq; habere nonnunquam deprehenditur, cuius drachmam dimidiā manè & serò ad septimanas aliquot deglutitam sanæn firmamq; corporis crasin (tam viris hypochondriacis, quam hystericiis fæminis diu multumq; agrotantibus, dejectaq; jam quasi corporis œconomia) restituisse ipse observavi. In nullo autem hysterico-rum affectuum genere felicius succedit, quam in illo quo spasmis afficiuntur fæmine, nixus edentes fortissimos, & plusquam muliebres, pectora simul ferientes. Talis vel similis apozematis haustus egregius quovis mane iu lecto adsumatur, & corpus tamdiu bene tegatur donec calor in artubus

## DISSERT. DE ÆGRO

42

perceptus, medicamentum per corpus distribui indicet, aut corpus udum fieri incipiat, horis pomeridianis repetatur, & motu corporis ejus in membra distributio adjuvetur.

## XXVII.

Si ex continuato per aliquot dierum decursum apozematis usu sanguis satis videatur incisus & attenuatus, purgatio propinetur, ut ejus ope corpus à saburra superflorum humorum liberetur, sumendo extractum catholicum, ad crasfas purgationes frequentissimi usus, mercurium dulcem, &, qui metallicis perfusus partibus, lapidem lazuli, ejusq; extractum, electuarium diacatholicum confectionem hamech, pulverem sennæ laxativum, usitatisimum & unicum viscidæ pituitæ purgans colocynthidem, ut ait *J.N. Pechlinus de purg. p. m. 244.* & gummoso illam delinitam involucro trochiscos alhandali, illius etiam extractum, quod quantæ hoc in casu sit efficaciæ testatur *C.F. Garmannius Eph. Germ. nat. curios. Dec. 1. ann. 3. obs. 202.* ubi ab ejus usu in magna copia excrementa mucosa & pituitosa, quæque adeo lenta & viscida fuerunt, ut in altum longè extendi potuerint, dejecta resert. Valde tamen hic cautus sit medicus oportet, cum hypochondriaci ad alterutrum extremum iæpissimè inclinent *G. W. Wedelius S. 1. de compos. medicam c. 5. p. 13. 14.* Plerumq; enim non nisi aucta in triplum dosi legitimè purgantur, acidus quippe humor viam purgantem hebetare solet, quemadmodum helleborus, diu acidis immaceratus, segnius purgat *Th. Barthol. act. med Hafn. vol 4. obs. 45.* Neque purgationes frequentes exhiberem, cum neque causam malitollere, neque obstruktiones deobstruere possint, quin potius jacturam faciunt spirituum, obstruktiones reddunt pertinaciores & inanes in corpore excitant tumultus, adeò

deò ut à purgationibus nihil planè emolumenti capere, æ gri, ut in pejus ruere sibi videantur *Tb. Sydenham. in Diss. epist. ad Guil. Cole p. m. 467.* quare multas purgationes damnat *J. H. Cardilucius in notis ad praxin chymiatr. Hartmanni cap. 130.* minimè enim morbum tollunt, sed potius augent *Tb. Willis pathol part. 2. cap. 9. Sydenham. l. c. p. m. 469.* Tantum tamen abest ut illas damnum, quin potius illas cum levamine exhibitas novi, dummodo cum judicio exhibeantur, si videlicet sanguine ab apozemate satis præparato succedat purgatio, illa peracta redeatur ad apozema, quod ex longiori intervallo denuò excipiat purgans, illud denuò sequatur apozema, servata eadem methodo, donec sanguine depurato, obstructionibusque deobstrutis, ad sudorifera aliaque accedere liceat medicamenta.

## XXVIII.

Solent practici, quod advertant ventriculi indispositionem & vomitum, aliquando insipidi ac mucilaginosi li- quoris, interdum acerbi vel amaricantis, aliquando pinguedinis super pavimento instar sebi concrecentis cum levamento haud exiguo. *Ephem. Germ Dec. 1. ann 3. obs. 253.* passim vomitoria commendare & ait *J. Hartmannus in pra- xi chymiatrica cap. de melan. hypochondr. p. 228.* Melancholiām incipientem vel simplicem plerumque curare vomitum, nominatim ex aqua benedicta Rulandi procuratum. Eundem in finem semel intra mensem assumto liquore aut sale vitrioli, atque cerevisia lacteata, aut aqua tepida copiosè epota, vomitum procurari vult *Tb. Willis in path. cerebri cap. 11.* Et antiquam secundum Aviennam multoties indigere vomita cum veratro albo *H. Capivaccius lib. 1. p. 12.* Vomitum à cibis præsentissimum remedium esse affir- mat *P. Forest. obs. lib. 10. obs. 18.* Sed non video quid emolu-

menti ægro meo ab iis promittere possim, fateor quidem illam vehementem concussionem humores quosdam, partibus impactos excutere posse, interim tamen multo plures arctius in partes adiget, nec causam mali tollet: si tamen temporis decursu indicia faburræ in ventriculo stabulantis suboriantur, ægerq; facile vomat, à vomitorio non abhorrerem, cum postea facilius medicamenta in reliquas partes penetrare possint.

## XXIX.

Dum viscidio, crasso & terrestri humori corrigendo intenti sumus, strenuè etiam austerus & acidus, quem antea maximè culpavimus, domandus est. Facient illud sic dicta alkalia, oculi cancri, corallia, margarithæ, ebur, mandibulæ lucii piscis, testæ cochlearum, ovorum, ostrearuim, gammarorum, dentes apri, hippopotami, cortices guajaci, peruvianus, winteranus, terræ omnes sigillatæ, lac lunæ, unicornu fossile, salia è cineribus plantarum extracta, omnia sale lixivioso prædita, species diarrhodon abbatis, fructus cynosbati, species diamagariti frigidæ, aromatici rosati. Sal armoniacum & ejus spiritus, sal, spiritus & oleum C. C. flores lapidis hæmatitis & ilorum tinctura, elixir proprietatis Paracelsi sine acido, sal volatile oleosum Sylvii, spiritus fuliginis, tinctura antimonii, & corallorum spiritu vini parata, oleum tartari per deliquium, tincturæ croci, cinnamomi, castorei, corticum citri, & spiritus vini particulis herbarum aromaticarum, v. g. melissæ, menthæ, rorismarini, fœniculi, petroselini, pulegii, imprægnatus. Huic fundamento innixus duos pulveres digestivi loco *Horstius operum tom. 2. p. 193.* non abs ratione commendat, & aquam suam ex herbis aromaticis compositam *Phil. Grulingius Med. Pract. lib. 3. parte 5.* mirum in modum extollit. Nec possum,

non

non approbare formulas, quas magno judicio Th. Willis  
*de morbis convulsivis cap. ii.* concinnavit. Testantur etiam  
 aliqui decocto absinthii, per quadraginta dies usurpato,  
 melancholiam hypochondriacam fuisse curatam. Thom.  
*Burnetus in Thesaur. medic. pract. lib. ii. p. 613.* His igitur si-  
 milibusve apozemata, in quibus maximam curationis  
 spem repono, pro re nata acui, aut aliæ ex iis concinna-  
 tæ formulæ cum singulis apozematis dosibus sumi, vel  
 folæ aliis horis usurpari possunt.

## XXX.

Ad hanc classem referuntur chalybeata, quorum in-  
 credibilem efficaciam, ita ut prius purgato corpore, sola suf-  
 ficere possint, esse asserit L. Mercatus *tom. 3. de intern. morb.*  
*cur. lib. i. c. 17.* & bolum, quem describit, chalybeatum se  
 felicissimo successu usum affirmat. J. Zecchius *consult. 81.*  
 illave contra alias morbos, & lienis vitia jam commen-  
 davit C. Plin. *Sec. natur. hist. tom. 3. lib. 34. cap. 15.* Et sane  
 commodissimum in hoc genere morbi est medicamen-  
 tum, limatura enim cruda intus sumpta statim atq; oc-  
 currit austero-acido humori, illum aggreditur, quam-  
 luctum ructus sulphurei & nidorosi, quales fieri solent à  
 commestis ovis ad duritiem coctis, oppidò produnt, solu-  
 tusq; chalybs excrementa stercorea, perinde atq; aurum  
 fulminans, nigredine tingit, & particulæ volatiliores vin-  
 culis exsolutæ, cum perveniunt ad sanguinem, pugnan-  
 do cum particulis, à quibus nondum fuere superatæ, no-  
 vam in sanguine producunt luctam, quæ facit ut pulsus  
 derepentè major fiat & celerior, exteriora corporis inca-  
 lescant, facies fiat vivida & sanguine purpurata. Th. Sy-  
 denham. *diss. epist. ad Guil. Cole p. m. 468.* Eadem particu-  
 lae, in sanguinis motum consentientes unà cum illo ad par-  
 tes delatae, in obstrukiones efficaciter impingunt, & pau-

latim deobstruunt: adeò ut si ullum hoc certè sit' medicamentum, à quo in hoc affectu medicus sibi multum promittere possit. Varias non addo formulas, cum illæ passim apud auctores extent, hoc saltem notari velim, ne purgantia addantur, cum illius vim à catharticis infringi observatum sit. Nec est, quod quis metuat chalybis crudi usum cum prorsus sit innoxius, & multiplex obser-vatorum jexperientia doceat illum brevisimo tempore curam absolvere, & testari possum Dn. Præsidem, cui in crebro usu, illò qvotidie felicissimè uti: Sperat Th. Sy-denham mineram martis, prout in terræ visceribus reperi-tur, efficacius in morbis subjugandis operari debere, quam ferrum ignem jam passum & fusione depuratum. Sed dubitem num illa tantæ sit efficaciæ futura, cum illa minera multis terrestribus particulis aliisve scoriis ad-huc imprægnata sit, donec me experientia aliter edoceat. Qvantum ad varias alias chalybis præparationes acidis factas illas huic ægro non commendare, quia tunc tam efficaciter in humores acido-austeros non ageret.

## XXXI.

Corpore satis diu ita præparato, tandem devenirem ad diaphoretica, quæ solidarum partium obstructiones efficacissimè referare possint, constarent illa non ex the-riaca, mithridatio &c. utpote quorum particulæ sunt ni-mis molles, sed ex salibus & mineralibus; antimonio dia-phoretico, bezoardico minerali, solari, martiali, simplici &c. salibus tamarisci, fraxini, absinthii &c. à quibus su-doribus multum levabitur æger, quem, si in initio fuis-sent exhibita, omnino offendissent, cum tunc humores magis in partes adegissent, & partes pertinacius obstru-xissent. Nec incongruum foret, si tunc ad diureticade-veniretur, quod sæpe nigra plane evacuari cuin ægri commo-

commodo obseruaverit *D.Senn.operum T.2.lib.3.p.5.S.1.c.6.*  
 Et optimo jure Hollerius & Septalius diuretica prohibent,  
 quod intempestivè exhibeantur, tunc enim nihil aliud agunt, quam quod humores agitando plures in partes deponant. Nec rationes quæ veteribus, illorum dissenserunt usum, quasq; recensitas videre licet apud *H.Mercurialem. lib.1.c.10.* in hac anatomiæ luce nos quicquam stringunt.

## XXXII.

Balnea & thermas ab aliis commendari, ab aliis verò rejici hic audias. Balneum dulcis aquæ ultimum hujus morbi auxilium esse vult *Casp.Cald de Hered. illustr. & obs. med.34.* Galenus vero laborantibus hypochondriis nullo modo balnea convenire docet, & omnes aquas thermales rejicit. *H.Fabricius ab Aquapendente med præct.lib.1.c.49* Sed balnea & thermas improbare nequeo; illa quidem, quod à blando calore referatis corporis poris se particulæ aquæ visceribus insinuent, humores diluant & fluxiles reddant, illosque vel secum e corpore educant, vel ad minimum è suis carceribus exturbent; has verò, quod ratione mineralium, à quibus suas vires habent, potenter corpus à vitiosis humoribus expurgent. Sed apprimè notandum, id sine delectu fieri non debere, nisi enim corpus benè sit præparatum, humores aliqua ratione jam incisi, ita ut fluxiliores redditii facile elui è poris possint, illos agitabunt, & multas dabunt in corpore turbas.

## XXXIII.

Hactenus in eo fui ut commodis remediis ægris succurrerem miseriis, cu:n verò ille morbus chronicus sit, & Medici etiam fatiget patientiam diligens diætæ ineunda ratio, cum *L.Riverio lib.12.c.5.* & experientia teste ægrino-va quotidie postulent remedia, iisque statim patientur, & medicos sæpe mutent. Aer, quem spirat, sit temperatus.

Cibi

Cibi sint boni succi, facilis digestionis, non lenti & crassi, nec austeri. Potus sit cerevisia clara & bene defæcata, adsumantur quandoque cochlearia aliquot vini hispanici, gentianâ, angelicâ, corticum aurantiorum flavedine, aliisq; corroborantibus infusis medicata, & iis horis quibus ventriculus vacuus est Coffee & Thee copiosus sit potus, serum lactis in magna bibatur quantitate, cum stipticitatis alvi etiam sit remedium. *Henr. à Moinichen obs. 5. ad Th. Bartholinum missa.* Hauriantur thermæ, aquæ minerales aliquæ ferri minera saturæ. Et sine dubio valde profutura esset aqua medicata, quæ Marienwaldæ jam scaturit, etsi enim in illius viam & efficaciam nondum inquirere mihi datum sit, aliquo tamen minerali prægnantem esse debere ostendunt in illa reperiundi lapides quos tingit, & è quibus arte chymica veram antimonii mineram elicitar hic vidi, ostendunt effectus, dum potentissimè per urinas dicit &c. Corpus indies moveatur & equo vehatur, tot enim succussionum millia eodem die ingeminata fæculentias sanguinis in partib⁹ hærentes educent, & hypochondriorum obstructionibus succurrent, quale exemplum ap. *Th. Sydenham* videre est. Somni vigiliarumq; modus sit. Alvum servet apertam. Tristia fugiat animi pathemata.

**XXXIV.** Quæ hactenus proposui ægro huic profutura reor, si se geret obedientem, nec tamen putas velim B. L., hanc curam omnibus melancholia hypochondriaca laborantibus convenire, sed illam huic peculiariter præscripsi, mutaturus si alia in aliis emergant phænomena. Tandem Summo Numinis, quod hactenus vires mihi cōcesserit, supplices devota mente ago gratias. DEUMq; veneror, ut studijs meis ulterius benedicere & mihi fausta quævis largiri clementer velit.

TANTUM.

*Parcarumque leves protrahet alma colos.*

Boni ominis causâ Eruditissimo præsentis disputationis Auctori Cognato ac domestico carissimo LMQ.  
f.

*JVSTVS CELLARIUS S. Theol. Ddus  
Phil. Nat. P. P.*

---

**I**n genii dotes videre ut numina Pindi  
Exarsere tui, miro simul omnia amore  
Sanctior ordo, Themis, Phæbæa corona calebant  
Teque exoptabant sua splendida dona ferentes.  
Tandem Blanditiis Hygieines vietus, amice  
Tu divas divi properasti ad Apollinis aras  
Hic lætus pandens artis mysteria, pectus  
Imbuit omne tibi : licet, en, jam cernere fructus.  
Hoc precor, ut sicut certatim numina Pindi  
In cultum pectus poscebant, artibus aptis  
Excultum mirè non unus Te expetat orbis!

*Ita animitus vovebat contubernali quondam  
suo charissimo*

*MARTINUS LADET. Med. Lic.*

---

**V**ars armata mali telis, in stabat & orbi  
Fata minabatur, concreto in membraque fuso  
artareo succo, verum admirabile visu,  
MEIBO MII armatum Te viribus illa videbat,  
Item quis hic est dixit, mox pernix territa fugit,  
e clare OTTO timens, numen Te credidit esse  
hostem perpetuum ausorum, lætabar, amice:

G 2

Semper

*semper sic jugis armata venit  
Te mors, & nomen fatis æquabitur orbis.*

hæc in honorem Dn. Responder  
deproperabat  
JOH. HUMMEL Sch. Helmst

**E**RGO peregrinis juvat immutare Camœnis  
Musas Teutonici, Suavis Amice, soli  
Sat Salæ est, Elmoque datum: patuere labores.

( Prodit ubique suum lucida gemma jubar.)

Scilicet egregie sic demum exculte Camœnis  
Gratior externis hospes, Amice, venis.

*Cl. Dnn. OTHONI, tum ob convictus olim suar  
tatem, tum ob sinceriorem amicitiam admodu  
sibi dilecto de iterato Industriæ eruditio  
nisque Specimine gratula  
batur*

*JOAN. WERLHOF. Lub*

